



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Propterea confitebor tibi in nationibus domine: Et nomine tuo cantabo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Liberator meus, de inimicis meis iracūdis, ab insurgētibus in me,
Auro iniquo eripe me.

Valentur hi quatuor uersus ultimi, Epilogus quidam esse eorum, quæ toto psalmo dicta sunt, quare satis ex præcedentibus apertus est eorum sensus. Id est, Auro iniquo (id est, uiris iniquitatis per synecdochē) dicit, hebreis est, *eripiamus illa*, id est, iniuria quæ lædit & malū facit proximo, quod satis propter iniquitatem diceret, nisi alibi uariaret interpres.

Propterea confitebor tibi in nationibus domine:
Et nomini tuo cantabo.

Hanc uersum Paulus Ro. xv. citat, ut diximus, qui & cogit hunc psalmum de Christo proprie intelligi. Igitur Christus a ludæis liberatus, iracūdis, hostibus, insurgentibus, iniquis, In gentium ecclesia per fidem cognitus laudat, & cantat nomen domini, hoc est, datis donis spiritus sui, facit nos confiteri & cōfiteari. Pono ipsum cōfiteri, & cantare indicat, nos, nō nostris iusticijs, sed gratiis dei beneficijs uiuere & esse in Ecclesia, ut soli fidei & misericordiæ dei gloria maneat.

Magnificans salutes regis sui, & faciens misericordiā Christo suo:
Dauid & semini eius usq; in seculum.

Magnæ autem sunt salutes, quibus Christum regem suum & christianos saluos facit, quia a morte, a peccatis, ab inferno & omnibus malis saluat, æternæ enim sunt istæ salutes, uita, iustitia & gloria. Salutes autem corporales, paræ, immo nihil sunt, in quo docemur, salutem corporis contemnere, & Christianum esse, ut magnas salutes, æternas q; spectemus, Nouo enim testamēto conuenit magnas salutes habere, sicut ueteri cōgruebant paræ. Idē est quod dicit, Et faciens misericordiā Christo suo, hic finis uersus medij, Salutes enim illæ nullis merentibus, sed solo misere deo donatæ sunt, Vnde Christum suum hic intelligit, unicum illum, in quo promissa est misericordia donanda, cui ob id & factam hic dicit, id est impletam in eo.

Dauid & semini eius usq; in seculum, cum sit altera pars uersus, hoc mihi ut detur dicere, q; salutes in rege illo & misericordia in Christo domini, sint impletæ, ut satis tieret Dauid & semini eius, cui facta est, pmissio de rege & Christo dei Iacob, ut. ij. Reg. ultimo dicitur. Totum ergo quod priore parte factum dicitur in Christo, Dauidi & semini eius factum intelligatur in æternum, ut Iſa. lv. Misericordias Dauid fideles dabo uobis, quod Act. xij. dicit Lucas, Dabo uobis sancta Dauid fidelia, hoc est, æternas salutes & misericordias, Fortiter enim hæserunt prophete in promissionibus dei, & sæpe easdem repetūt & inculcant, quin & dilatant & explicāt, quod & omnibus, qui salui sūt, necessariū est, cum in his solis sita sit salus, non in præceptis aut operibus ullis.

LI ij Psalmus decij